



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tribunal Poenitentiæ Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut
Reo Posterior De Confessario Ut Judice**

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

Art. I. De probitate Confessarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37144

P. S.
Trib
Poani
E.

QUÆSTIO I. *De Qualitatibus Confessarij.*

2. PRæcipue, quæ ad Confessarium, ut suo officio ritè fungi possit, spe-
tant Qualitates, sunt Probitas, Scientia,
& Prudentia.

ARTICULUS I.

De Probitate Confessarij.

3. De fide est, ad validam Sacramenti-
tum Pœnitentia, tum etiam reliquorum
administrationem neque fidem, neque
probitatem in ministro requiri. Ita de-
finitum est in Concil. Tridentino Sess. 7.
can. 4. de bapt. & can. 12. de Sacram. in
genere. Nihilominus tamen quia Sacer-
dos in hac administratione specialiter
sibit personam Christi, ita ut actiones
Ministri censeantur moraliter esse eadem
cum actionibus Christi, idcirco omnino
convenit, ut quemadmodum actiones
Christi sunt sanctissimæ, ita etiam actiones
Ministri seu Vicarij Christi sint san-
ctæ, id est, ut Minister eas pro Christo
exercens sit in statu gratiæ, & perfectæ
consummatæque virtutis; ne dum alias
animas Christo lucrari conatur, ipse suæ
dettimentum patiatur. Quid hoc ipsi pro-
derit? Certè licet universum status sacer-
dotalis magnam vitæ innocentiam exigat,
tamen Confessarij munus præcipuum po-
stulat morum probitatem, ne vel indignæ
Sacramentum administret; vel semet, ut
dixi, in discrimen conjiciat tot, tam gra-
vibus, tam contagiosis flagitijs audiendis;

vel pœnitentes ipsi sua peccata committe-
re diffidant illi, quem noverint vel iisdem
flagitijs implicatum, vel in ebrietate quid-
vis effutire, vel, quod omnium gravissi-
mum est, ad turpitudinem etiam incitare
solitum. Studeant ergo præ cæteris Chri-
stianæ perfectioni, & innoxie tractabunt
Sacramentum, quod alioqui saepe soler-
te periculose parum probis & per-
fectis.

4. Sed quid? licetne à Ministro pec-
catore Sacramentum petere? suppono
autem ex materia de charitate I. non
esse licitum, ab altero petere actionem
intrinsecè malam, hoc est, talam, quæ ab
illo sine peccato fieri non potest: hoc
enim est alterum ad peccatum inducere.
Econtra vero II. esse licitum, actionem,
quæ ab altero bene vel malè fieri posset,
ab eodem petere ob magnam meam uti-
litatem, vel necessitatem; non enim tunc
induco alterum ad peccatum, sed ab eo
peto rem licitam, & simul permitto, ut
ille eam faciat illicitè. Ratio hujus est,
quia in eum Jus non debet ob alterius ma-
litiæ impediri. Sic possum à fure meum
librum repetere, et si nō rim, cum etiam
cum juramento negaturum, se habe-
re &c.

5. His principijs bene attentis & per-
pensis illicitum est I. petere à malo Mi-
nistro Sacramentum, cuius administra-
tio non possit hic & nunc ab eo fieri sine
peccato. Ratio patet ex pced. num. 4.

6. Illicitum II. extra casum magnæ
utilitatis aut necessitatis petere à malo
Ministro Pœnitentia, aut cujuscunque
alterius Sacramenti administrationem,
quam bene potest, sed prævidetur malè
facturus. Est communis. Et ratio est,
quia

ART. II. De Scientia Confessarij.

quia sine causa non licet, ne quidem indirecte, dare proximo occasionem peccandi.

7. Licitum verò est III. in casu extremae, imò etiam gravis necessitatis, aut magnæ utilitatis petere Sacramentum à malo Ministro; quia pono, illum in tali casu posse, si velit, licetē Sacramentum administrare; quod ergo illicetē administraret, illius malitia accidit, ob quam ego non debeo magna mea utilitate privati; multò minus æternū pecire, si eo Sacramento extremè egeam.

8. Hinc ergo si duo sint Confessarij, & m̄hi constet, unum eorum in peccato administraturum Sacramentum Pœnitentiæ, teneor adire alterum, et si sit meus Confessarius ordinarius, aut etiam Parochus. Non enim tanti momenti est mutare Confessarium, ut non teneat propterea illi, etiam indirecte, non dare occasionem peccandi. Secus esset, si nullus alius adesset Confessarius, & ego versarier in periculo vitæ; tunc enim omnino possem, imò etiam tenerer ab illo petere Sacramentum.

9. Ad hoc ut liceat à malo Ministro Sacramentum petere, parùm refert, quod jam antè ad eam ministrationem paratus sit, si quidem cum eadem mea committate non possim habere Ministrum, licetē mihi administraturum Sacramentum: si enim possim habere talem, teneor eo uti, sive dein ipse ex officio teneatur conferre Sacramentum, sive non. Et ita id suadet tum charitas erga proximum, quæ unumquemque obligat, ut suo proximo non der sine causa occasionem peccandi; tum etiam reverentia Sacramento debita; si enim cum æquali mea utilitate possum facere,

ut Sacramentum dignè tractetur, ratio naturalis videtur dictare, id esse faciendum. Suar. p. 3. T. 4. D. 28. f. 2. n. 2.

10. Esthīc valde bene notandum, non esse curiosè, nec studiosè aut scrupulosè inquirendum in actiones, & vitam Confessarij, & examinandum, an sit bene dispositus, vel non: hoc enim sine gravi ipsius injurya fieri non potest. Et licet recta videam, eum à patrato scelere properare ad Sacramentum ministrandum, bene tamen de eo præsumere possum, & cogitare, illum, cum primùm ab eo petitur Sacramentum, conteri, & bene esse dispositum.

ARTICULUS II.

De Scientia Confessarij.

11. Si Medicus vel Advocatus imperitus graviter peccat, morbi vel cauæ aliquujus temporalis curam suscipiendo, atque ita hominem in periculum vitæ aut facultatum conjiciendo; tantò gravius crimen erit, animarum curam sine competenti Scientia suscipere, quantò major est æternæ salutis, quam vita & facultatum jaætura. Quapropter omnes uno consensu docent, eum mortaliter delinquere, qui confessionibus audiendis se exponit, nondum debitâ scientiâ instrutus. Videndum igitur, quanta doctrina requiratur, ad munus hoc tutâ conscientiâ obeundum.

12. Quoniam autem Confessarius in hoc Sacramento triplex officium gerit, Judicis, Medici, & Doctoris, & quā Jūdex dijudicare debet conscientiam pœnitentis, in quo statu haec tenus fuerit, in quo nunc sit: quā Medicus præscribere

A 3 spiri-